



Slod

E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi
a venerabili
Carolo Funk
theol. doctore et gymnasii direttore
a. 1857 hereditate relictis.

G. f. 171.



DE OBITU

VIRI ADMODVM REVERENDI, CLARISSIMI ET
FACVNDISSIMI,

IOANNIS FRIDERICI
CALEZKI,

LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRI ET EC-
CLESIASTAE AD AVLAM SERVESTO-
ANHALTINAM SECVNDARIJ,

QVI ANNO 1700. D. 5. APRILIS IN LVCEM EDITVS,

VITAM MERITISSIMAM AD D. 13. MAII ANNO 1755. CVM MORTE
PLACIDA COMMVTAVIT,

ET D. 16. MAII COSWIGAE PATRIAE MONIMENTIS CONDITVS FVIT,

SVPERSTITES, SVIS TITVLIS CONDECORATISSIMOS,

DESIDERATISSIMI MARITI ET PARENTIS FVNERE
AFFLICTISSIMOS,

ERIGERE ET ALLOQVIBVS QUIBVSDAM CONFIRMARE NITVNTVR

INTVS NOMINATI.

SERVESTAE, TYPIS BERNVTHIANAE OFFICINAE.



CONIVX CONIVGI,
DEFVNCTVS SVPERSTITI!



Qvamlibet adscriptus superis, tot cara recept
Pignora, constanti corda probata fide:
Vsqve tamen vivis animi penetralibus haeret
Mitis, in implacida, turba superstes, humo.
Triste ministerium vel nunc memorare juvabit,
Quod prope deposito praebuit alma domus.
Et subit, et memores sensus laetantis ocellos,
Si fas hoc fineret, rore tepente rigent.
Vxor ut injectis cupiit retinere lacertis
Emeriti pronam de statione fugam.
Vt (questu qvaticente sonos) corruptit et ora
Imbribus, et planxit pectora, planxit humum.
Vt luctu tandem stupefacta obmutuit amens,
Vtque dedit victas, vi superante, manus.
Et, quo jam licuit, solo molimine nutus
Vulneris ex omni parte petivit opem.
Iamque oculis, moesta cum mente errantibus, alti
Captavit supplex lumina grata poli:
Rursus et ingemuit, coelesti luce reperta,
Conscia, fidereos me revocare Lares.
Iamque manu trepida rapiens, angore magistro,
Adpressit natae membra tenella sibi:
Et fat commistis alterno e fonte genarum
Fletibus, orbandae praemeditata vices,
(Qvae mihi more hederæ socia serpentis in ulmo
Indivulsa fuit vespere, mane comes.)

Defecit

Defecit rursus: vires tamen inde resumfit
 Lassandi votis sidera surda novis.
 Post et agon, et agonis honos, tot praemia spondens,
 Cum partes agerent, lite calente, suas:
 Cum bene tam dulci vita constaret emenda
 In furva stellans morte corona poli:
 Invitam, memini, pronas mihi solvere grates,
 Invitamque pia dicere voce, Vale.
 Et petere, et fugere amplexus atque ora mariti,
 Ut palmam obtinuit terror amorve suam.
 Iam carpi attonitos absentis imagine sensus,
 Cum subit, ut collo dulce pendit onus.
 Nempe recordanti secum nunc plura placebant,
 Antea in incolu[m]i quam placuere viro.
 Sic vigil assedit libris, sic sacra revolvit
 Scripta: verecundo sic dedit ore preces.
 Sic ivit reditque domum: Sic prandia cepit,
 Sic fociae et teneris basia casta dedit.
 Hi percant vultus? percant haec verba disertis?
 Pallor erit gelidus, qui decor oris erat?
 Ut, licet aequor ament, ventis fugientibus, undae,
 Sed tamen et positis flatibus unda tumet:
 Non aliter, quamvis aberat praesentia plagae
 Mortiferae, fuerat qui metus, usque redit.
 Angitur, et trepidi stimulis agitata doloris
 Odit Lethaeos, odit amore, toros.
 Coniuge deleto paulum, sine labe noverca
 Te petit, e primo filia adulta toro.
 Nata, liqvens desiderio vel fidere laetum,
 Inter rot coeli splendida signa, patrem!
 Te petit, et, lecti partu ambitiosa prioris,
 In Te depositi conjugis ora legit.
 Insectaque manu titulum sibi vindicat omnem
 Matris, et hic sanguis, hic ait, hujus erit!
 Vsq[ue] placet sanguis, quamvis sit sanguinis error:
 CALEZKII sanguis! nunc memor esto mei.
 Nos decet alloquio communi corda levare,
 Mutua communis fors quia damna parit.
 Fles! fleo bis! patrem desles: patremque virumque
 Lugeo! qui luctus sarcina major erit?
 Adde Orbae Viduam, Vidua felicior Orba es:
 Vulnus habes unum: vulnera plura mihi!

Hanc sine me spem ferre Tui (si iusta noverca
 Visa fui, vestri si patris ardor eram!)
 Virgineo lacrymas prostratae collige matris,
 Collige singultus lapsaque membra sinu.
 Dixit: et, expertura oculos in morte natantes,
 Interpret, dubitat, quis sibi fidus eat?
 Cervices matris natarum maxima fulcit,
 Nata cliens, primi nobile stemma tori.
 Altera, visceribus maternis viscera juncta,
 Haerent in gremio, sarcina grata, suo.
 Nata sedet solans comitum novitate dolores,
 Et dulcis, demto quod patre, mater adest.
 Filius orbis abest, thalami dos viva secundi,
 Post matrem orbandus nunc genitoris ope.
 Huic sexus melior rarae Pietatis et ardor
 Concessit robur par, animosque mares:
 Vt mecum recubans stratum fatale premente,
 Sponte sua junctus, nollet abire comes.
 Coelicolam quanta est pietas, Tibi nate rependent
 Virtutum ver hoc, hoc genus officii.
 Corpus es et verus CALEZKII e sanguine sanguis,
 Tradux es mentis mens genuina meae.
 Volvere plura juvat nostros audentia sensus
 Lactitiae: sed retrahit dulcis imago Dei.
 Illa inhibet desiderium tam grande: favori
 Plurima volvendi ponit et illa modum.
 Hoc precibus, conjux, carum sine posse maritum,
 Vestri cujus amor transvolat astra poli:
 Ne nostro properes durum tibi funere funus,
 Non vitam reddes, optima, morte Tua.
 Aeternos tibi non fueram desponsus in annos,
 Lex fati est gemitu non temeranda Tuo.
 Scis, mihi quam fuerit longae spes rara senectae,
 Si vires norunt corpora juncta sibi.
 Lassus eram dudum: sed me quoque fortior ipso
 Vivida diffusa gaudia fronte tuli!
 Iam pietas fati habet de Te, quod flamina rupta
 Discuperes fati forte redempta tui.
 Iam laus conjugii fati habet, quod conjuge dulci
 Optassem tecum continuare moram.
 Hei! sedet haud uno miseranda querela sepulcro,
 De rixae cupidis fulmineisque stolis.

Constitit

Constitit at nobis (tua testor numina) plene
Et ratio officii, nec taciturnus amor.
Nil de me, si Te didici sub funeris horam,
Ultima quod praeter fata queras, habes.
Nil ego et ipse in Te cuperem, nisi curta maritae
Nomina mutatum: vive futura redux!
Interea, quamvis tellus tibi fordeat aegrae,
Respice! o trini pignora trina tori.
In trinos tua se pietas, Tua gratia curae
Distendat: matrum sis, mea vita, trium!
Non utero metire Tuo, sed sanguine nostro
Affectum, triplex quo mihi pignus eget.
Si perii, nondum totus perisse videbor
Terricolis: trino corpore spiro parens.
Paulatim nostro a vultu deflectere vultum
Addisce: in sobolis vultibus ora tene.
Nec tibi conspectum CALEZKII dicit ademtum,
Qui prolis vultus noverit esse meos.
Conjugis est titulus tibi raptus: sume parentis
Nomen utrumque Tibi: femina vince mares.
Oscula si libare cupis pro more mariti,
Natorum libes oscula blanda genis.
Casibus et doceas quondam illacrymare paternis,
Limite de patrio si ferus error agat.
Exemplum virtutis, iter genitoris amare
Svescant: in vita constet imago patris.
Funera qui solus post tot germana superstes,
Patrisset, natus, dicta probetque fide.
Pendeat ex candore sui ductuque magistri,
Obsequio hunc tendat demeruisse sibi.
Delicias fugiat torporis: Hypocrisim, arae
Ludibrium, pedibus calcet agatque procul.
Sunt, qui Teutonicas fiant ut cymbala ad aures,
Aufonios negligunt Argolicosque sonos.
Et Solyms nigrum soliti praefigere Theta,
Ingenio fingunt Daedala verba suo.
Et, quos turba puellarum condiscere gessit,
Versibus impendunt otia et aera simul.
Plenaque numinibus Iesaei carmina vatis
Dant scombro et piperi materiaeque jocí.
Banisaeque stylo sacras onerare cathedras,
Paucis concessi muneris instar habent.

Vel flexuri animos, neglecto pondere Christi,
 Scenarum libris Pameliaeque litant.
 Aut ideas Wolffii Marco, Euclidenque Iohanni
 Largiti, nugis tempora sacra terunt.
 Et quot comprehendit nova definitio verba
 Pro definito substituisse solent.
 Hac sibi maiestate placent, hoc schemate turgent,
 Quod stolidum bucca vulgus hiante notet.
 Interea, (canis ut deceptus imagine boli)
 Fallitur auditor: qui fuit ante, manet.
 Pruriat his salibus, cepit quem gloria Maevii,
 Et pingvedo Bavii, Pantiliusque cimex.
 Collegae magni ductus imiteretur, Epoptae
 Sacrorum, rapti qui, vice patris erit.
 Sis memor (ut tandem faciam compendia voti)
 Sis pia Sichaei turtur Elissa Tui.
 Nec timeas, melior taedas si suaserit aetas,
 Occultos gemitus invidiamque mei.
 Hoc fas jusque finit: similem mihi moribus optes
 Inque domo patrem, connubioque virum.
 Qui colat officio et simili pietate maritum,
 Qui foveat natos: hic placiturus erit.
 Tanget inoffensam vitae cum denique metam
 Sors tua: (quas portent tempora fera vices!)
 Addita coelicolum, nova pars, nova gaudia, turmis,
 Accedes nuptis tertia nupta meis.
 Accedes domito luctu, sperato sublimior orbe,
 Laeta comes pueris virginibusque meis.
 Constabit noster vobis aequaliter ardor,
 Nullaque confvescet plusue minusue mihi.
 In terris vitium cadat in certamen amoris,
 Hic timor affectus deterioris abest.
 Ecce vocat coetum placido spectabilis ore
 Rex Superum: sequimur. Spes mea, corque Vale.

Manibus et Superstitibus
 CALEZKIANIS,

Illis monumentum amicitiae,

His curarum solamen,

cecinit

IO. FRID. BEHRENDT.

Illustris Lycei Servest. Rector.

Hei dolor! hei rerum non spes, sed specula! fati
 Hei vis! hei vitae vellera nigra brevis!
 Eloquar? anne premam, carmen miserabile, lessum?
 Nec solvam merito tristia iusta patri?
 Non finat hoc Pietas, non pectora grata: parabo
 Quamlibet attonita munera moesta manu.
 Ad nomen nostrum si torpida lingua jacentis
 Ter volvit lenta flebile voce Vale:
 Qua licet, audebo super hos exurgere luctus,
 Officiique memor fortior ire malis.
 Fulta caput cithara, me vatem flebile carmen,
 Et Styge condignum, squalida Musa, doce.
 Hinc procul hinc hederæ: concedat laurea taxo,
 Aclinis tumulo dum fera busta cano.
 Ergo jaces, venerande Pater, mea sancta voluptas,
 Et decus, et nostræ lux columenque domus!
 Quot quantasque rapis tecum spes funere merus?
 Haec tua quot stirpes una ruina trahit?
 Sic Tibi nil herbae vires artesque medentum,
 Et pro Te fusæ nil valuere preces?
 Sic Tibi nil virtus vel doctæ profuit artis
 Nomen, et aethero lingua adamata gregi?
 Vel similes illis, quibus aurea floruit aetas,
 Mores, et rerum certa tenaxque fides?
 Tentamenta nihil curat mortalia Clotho,
 Hei nimis Aoniis invidiosa viris.
 Ad bustum, a Tibi nil hei! proficientibus aris,
 Dum superis adoles turea dona, rapit.
 Pascitur ille vigor flammis, pudibundaque forma;
 Deperit is gestus, deperit ille decor.
 Solertesque manus, facundaque vindicis ora,
 Pectus et, ingenuæ mentis amoena domus.
 Quis jam oculos auresque trahet? quis tramite recto
 Ambiguos gressus per sola caeca reget?
 Equis erit monitis mihi consilioque Pericles?
 Exemplum studii moris et unde petam?
 Ero velut pius, raptò de puppe magistro,
 Injiciuntque mihi litora tuta metum.
 Hei lucem, nec jam lucem, quæ vulnera jungit
 Vulneribus, crusta vix obeunte cutem!
 Nox pariter gravis est, succurrit imago valentis,
 Et lateri junctum fingimus esse patrem.

Spemque

Spemque manus cupidae quaerunt, falsaeque dolori
 Suppeditant questus femina plura novo.
 Nempe fumus nimis hei! lacrymis obnoxia turba,
 Et sine fine avidae prodita praeda Stygi.
 Et sibi praecipuo nostras jam jure cupressus
 Vindicat (infandum) taxus et atra fores.
 Anne parum fuerat, cum nostra e gente feretra
 Efflerent una corpora trina die?
 Ivere exsequias rapro cum fratre sorori:
 Sarcina sandapilae tertia mater erat.
 Quid Tibi, care parens, animi fuit ordine in illo
 Pompae funebri? non mihi scire liquet.
 Jam prope funus erant, dubium pallentis et Orci
 Munus, solliciti causaque quarta metus:
 Funere ni satiata poli inelementia denso,
 Ni satiata foret mortis avara manus.
 Nunc dum stagna seceas Acherusia, porrio cymbae
 Tu quoque facta nigrae, Tu caput omne rei:
 Progenitus videar non Te, sed robore duro,
 Si siccis oculis ista videre queam.
 Reddite, fata, patrem! denos reddetis in uno!
 Saepe quoror, sed nil vana querela juvat.
 Ecquid agam miser hoc tam tristi cardine rerum?
 Te sequar, o luctus o cynosura pii.
 Nubibus evictis firmabo pectora nutu,
 Fata gubernantis laeta, vel atra, Dei.
 Sugeret hic dignas porro in solatia vires:
 Qui fecit tantum vulnus, opemque feret.
 Vos, placidi Manes, jam nobilis umbra parentis!
 Accipite haec lacrymis ferta rigata meis.
 Cum thalami focias, veteres nosceris amores,
 Conjugis adventu pectora laeta sui:
 Rapraque ab uberibus, primo vel flore sub aevi,
 Cum cingent notum pignora cara patrem:
 Cum dabit amplexus, atque oscula fida resiget
 A patri quondam turba revulsa Lare:
 Dicite: et hic natus, supremi muneris auctor,
 Coelicolas memori vos pietate colit.
 Ac licet ex oculis rapuit nos invida Parca,
 Nostra animo semper vivet imago suo.
 Has quoties formas, vultus imitamina nostri,
 Mens repetet, querulus dicet: **AVETE MEI!**

Lacrymis his egressit pios luctus
 IO. FRID. CHRISTIANVS CALEZKI,
 Lycei illustri Servest. alumnus.

Verfuch

78 M 428

Sign. (188) fehlt bzw.
rest. nicht vergeben!




56.

1077

R.40



o tegmine lufus
a celebrat.
rbia monfrat
Sapientia cautè
Galatea reperta est
ympho Nupta re-
perta est,



DE OBITU

VIRI ADMODVM REVERENDI, CLARISSIMI ET
FACVNDISSIMI,

IOANNIS FRIDERICI CALEZKI,

LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRI ET EC-
CLESIASTAE AD AVLAM SERVESTO-
ANHALTINAM SECVNDARII,

QVI ANNO 1700. D. 5. APRILIS IN LVCEM EDITVS,

VITAM MERITISSIMAM AD D. 13. MAII ANNO 1755. CVM MORTE
PLACIDA COMMVTAVIT,

ET D. 16. MAII COSWIGAE PATRIAE MONIMENTIS CONDITVS EVIT,

SVPERSTITES, SVIS TITVLIS CONDECORATISSIMOS,

DESIDERATISSIMI MARITI ET PARENTIS FVNERE
AFFLICTISSIMOS,

ERIGERE ET ALLOQVHS QVIBVSDAM CONFIRMARE NITVNTVR

INTVS NOMINATI.

SERVESTAE, TYPIS BERNVTHIANAE OFFICINAE.

AK